



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

Crombach, Hermann

Coloniæ, 1645

Documenta 10. ad vitam homine Christiano dignam congrua, & cuius
statui, sexuique accommodata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14591

DOCUMENTA X. AD VITAM HO-
mine Christiano dignam congrua, & cui-
us statui, sexuque accommodata.

I. **Q**uoniam salutis nostræ tota ratio *intentio.*
in recta intentione collocatur; ideo
semper omnia vitæ nostræ dicta, facta &
cogitata purè sunt ad Dei gloriam dirigen-
da.

2. Pravis animi cupiditatibus, propen- *victoria*
sionibus, & desiderijs repugnandum est, *sui.*
compressa peccandi licentia, & amore ni-
mio fluxarum rerum; Quamdiu enim mor-
tale corpus nostrum superest, & viget,
semper pugnandum, semper vigilandum
est in carnis & sui ipsius victoria consequen-
da; nam quo plus voluptatis terrenæ nobis
accedit, hoc animus à Deo longius separa-
tur, & plus accrescat tormentorum post
mortem subeundum. At quantum voluptati
decedit, tantumdem accumulatur interni, &
spiritualis solatij.

3. Inclinationes cordis & voluntatis re- *amor Dei.*
prime, ac reclude; ne irrepant res caducæ;
semper autem Deo, diuinisque rebus pande
sinus omnes cordis, vt si eo solo conquies-
cas. Libera te omni cura & anxia sollicitu-
dine tui ipsius. Da terram (quam tamen ali-
quando cogeris deserere) pro cælo, quod
sperare iuberis; & eris Rex & Dominus

totius mundi, poterisque libero, puroque corde Deo adherere.

humilitas.

4. Humilitas profunda viam pandit securissimam amoris Dei. præterea viuum, firmumque fundamentum est omnis sanctitatis: Ex eadem velut radice foecunda, patientia, vera quies animi & perfectio, mansuetudo, Dei laus, & reliquæ virtutes omnes pullulant.

Amor proximi.

5. Res omnes aduersas, & iniurias patienti mansuetoque perfer animo. Omnes homines cõmuni & vniuersali amore prosequere, cuncta, quæ vides, in meliorem partem interpretare: misericordiæ operibus sedulo inuigila; malefacta conare beneficijs compensare, vincens in bono malum.

resignatio.

6. Te ipsum totum cum omni voluntate consecra Deo, eiusque potestati sic subijce, vt cum eius voluntate congruat: abdicat prorsus à te creaturarum rerum amorem, & solatiola. Nulla res contristet animum: nisi qua Deum offendi noueris: nihil delectet, nisi quod Deo placitum & probatum esse sciueris.

recollectio.

7. Discede à nimia & periculosa consuetudine secularium hominum, apud te ipsum in animo habita, teque recollige, liber ab omni vanitate, corde purus, in verbis verax, in operibus & negotijs sincerus: Te ipsum

ipsum cognosce, oblitus aliorum : semper
diuinæ præsentia memor.

8. Tota mentis propensio, cordisque de-
sideria semper Deum suspirent, illi inhære-
ant, eum diligant, cum grata animi signifi-
catione: Nihil scias, velis vel possideas sine
illo.

*præsentia
& unio
cum Deo*

9. Sæpè cum pietate recale vitam & pas-
sionem Christi : cum illa tuam compara;
vide quam propinquè vel remotè absit ab
illa singulis in virtutibus ; præsertim cum
calamitas aliqua diuturnior tibi toleranda
est: nam patientia vestis est nuptialis, qua
Dominus tuus in cruce voluit amiciri
tunc, cum animam tuam velut electissimam
sponsam sibi maritavit, vt eam ab æterna
morte liberaret.

*memoria
passionis
Christi.*

10. In laude Dei & gratiarum actione
semper permane; quidquid enim sumus, vel
habemus ab eo nobis promanat. Ideo te ei
medullitus offer & conlecrata in tempo-
re, quam æternitate, vt tecum dispo-
nat iuxta sanctissimam
voluntatem.

*Gratia-
rum actio.*